



Literæ Responsoræ

BENEDICTI TRANQVILLI,

ad

Consiliarium quendam Electoralem.

1656.



Vccessus armorum Suecicorum quàm & angant multos, & sollicitata consilia vestra in fluctus conjiciant, perspexi ex literis. Credo facile, anxietatis eorundem conscius, quantum cedant suggestionibus, & inde Zelo cæco & occæcante, semper studiosi magis, ne certarum obventionum quicquam decedat, quàm ut Imperio sua constet autoritas, salus, quies.

Haud tamen vestra in idem propensa fore vota, mihi persuadeo, consilium consultationum vestrarum, prudentiæ, æquitati, dexteritati, minimè permitturis, ut sine urgentissima, eaque inevitabili causa ad incendium, quod Germaniam nostram nondum contingit, cum discrimine publico occurratis. Nihil quippe licet prævidere, quod movere possit, multa, quæ dehortantur. Quæ in Consiliis prima divinorum reverentia esse debet, dum suggerit, quomodo bella verè sint divina judicia, per quæ Regnis & Regibus excitatur hostis, inde juvatur, & ad finem divinitus præfixum deducitur; eademque vel manu tangimus in casu Regis Poloniæ, quem contra divinitus mirando modo prosperata arma velle adjuvare, non aliud erit, quam judiciis istis reluctari, contra stimulum calcitrare.

)1(

Non

Non causa, sine quā justis & prudentibus nihil suscipiendum, adest, quæ ad opem ferendam moveat. Quid ad nos, qui foras sunt? Satis rei domi est, quod euremus & servemus; ut non opus sit nostris in discrimen adductis, misceri alienis. Passi sumus Poloniam, quam Carolus Magnus Imperator olim debellavit, & Imperio subditam Otto III. Imperator, creato Rege Bolislao Poloniæ Duce regnum fecit, ab imperio divelli summum, & nulli amplius obnoxium Imperium fieri: Ac quievimus cum Livoniam & Borussiam, Germaniæ olim provincias, ab eadem avulsas Regnum Poloniæ suas faceret. Nihil ultra deliberationes in Comitibus actum: Patientiâ nostrâ & silentio inter Reges solitum acquirendi titulum præbuimus, honoravimus eos, ut supremos, talium dominos.

Postquam dudum isti à nostro jure & consortio discesserunt, quo jure, quo apud peritos prætextu, Polonica reddemus nostræ curæ: In Rege Poloniæ non superest quod nos contingat, cum nihil fecerit Regium, per quod se suaque in Regno defenderet; ante hæc arma sibi illata superbus & alieni cupidus, sub eorum primordiis securus, & inter voluptates, nulli providentiæ tantæ rei pari deditus, inter illa de fuga magis, quam constantia pro regno, ut Regem decet, perimendi & pereundi sollicitus: Quâ ratione post arma adversus ipsum felicia, Regno non tam dejectus, quàm decedendo in nostram suscipietur tutelam? Non desiderant id Ordines regni, qui latens hætenus desiderium ab ipsius gubernatione exemptionis, satis manifestum nunc præstant. Crediderunt antea, nunc aperte dicunt, non regno aptum, Ordinibus gravem, incolis, per varios in ditio- nes adductos hostes, perniciosum, amittendi Imperii reum. Quod si Regem ad regnum reducendi aliqua facultas adesset, malè inter eas in Regno de Rege opiniones & decreta, ipsi consuletur. Redux nihil certius sentiet, quàm in quod Anglia exemplo præivit; Etsi vel servatus, servare tamen Regnum diu nequaquam poterit, huic impar, invisus domi, foras bellis multis impeditus: Quare, quàm ipsi impossibile, recipere & servare populi favorem, hostium vim repellere, tam minimè suadendum, ut Regnum sibi adversum & infav- stum repetat, multo felicior in vita privata, per modicum quod vitæ restat, futurus, quàm si miseriori fato non Regnum modo, sed & vi-

tara

ram finire opus habeat. In Regno quoque non est, quod nostram
 mereatur opem, quam nec poscunt ex aliquo comitiorum decreto
 Ordines. Agnoscunt, quæ per arma Suecica acceperunt, non le-
 via beneficia, liberati à Cossaccorum deprædationibus, & Mosci im-
 pendente cervicibus sævitiâ; Huic pari Regionum militum insolentia;
 Regis erga multos iniquitate; erga alios noxiâ indulgentiâ; ubi-
 que in publicam perniciem vergente socordiâ. Sub Rege, qui in Re-
 gno, quod habet, & servat ab iis malis benè custoditum, fortitudinis,
 prudentiæ, ac felicitatis documenta gloriosa orbi exhibet, in melio-
 ris status & fortunæ fiduciam erecti. Istis invitis, quid moliemur;
 infensos magis, quàm faventes habituri simus incerti? Si sunt inter
 eos, qui desiderent, privatam illi, non publicam causam agant, sinè
 publico consilio turbida amantes & quærentes, cæteris exosi. Nihil
 porrò reperitur in armis Suecicis, quod ad justam indignationem,
 exterorum quenquam meritò irritabit. Summâ æquitate patitur
 ab his Poloniæ Rex, quæ dudum inferre cogitavit. Voluit Sueciæ
 Regibus ereptum Regnum, nihil, quod eum in finem tentare potuit,
 omisit. Ejus titulum sumpsit, hostes consilio, ope, suppetiis juvit,
 alios excitare studuit, pacem controversiæ terminandæ destinatam
 sprevit, impedit: Quod ultra non processit, ex defectu virium eve-
 nit. Nihil per natalitia Gentium justius, quàm ut Rex voluntate &
 consiliis cladi destinatus, imò dolis & factis hostilibus petitus, præ-
 pediret facultatem destinata perficiendi. Natura licentiam dedit
 arma armis præveniendi: Quicquid in orbe sanum est, applaudit
 huic armorum causæ; Deus pro sperrimis eventibus beat, approbat.
 Nosce audebimus adversus Regnum & Regem Christianum, ami-
 cum, de Germania optimè meritum, argumentis quibusdam confur-
 gere? Religio obtenditur! Sed primùm scire avelo, quæ nobis ratio
 curandi istam in regno alieno, & quidem ita, ut Causam ejus infesti-
 us agere, proque ea nostro Imperio, & in ea Religionis hostes & pe-
 ricula parare velimus? Inter Politica nostræ Reipublicæ axiomata
 retulimus, & pacem cum Regno Sueciæ firmavimus; Religionem
 regionis esse, & quibus hæc continetur terminis, iisdem illius curam
 discerni. Huic consequens, ob ea, quæ alibi circa religiosa aguntur,
 non magis justum esse de cæteris sollicitudinem, quàm si contra Jus

Gentium alieni subditi in nostram protectionem assumantur. Pontificis causam cur nostrum in Polonia agat Imperium, nihil deprehendo. Magni constitit Germaniæ, nobisque omnibus, satellitium, quod ipsa adversus Evangelicos præstitimus; Quod tamen inter nostra, si non causam, tamen prætextum habuit, qui nullus in alienis erit. Ea est Imperii nostri ex Catholicis & Evangelicis Statibus compositi ratio, ut quam domi suæ quisquæ jam colit, religioni faveat, sed foras alterutri præjudicium inferre, & non modo non gravis fieri, sed & ne fieri posse videatur, caveat. Quicquid secus fit, intestinis dissidiis, & juxta per hæc omnium insidiis fores aperit, prætextus porrigit, potentiam Germaniæ pro lubitu insultandi concedit. Cogita igitur, si sub obtentu Religionis quicquam, contra Regem Evangelicæ confessioni addictum & propitium audebimus, quis futurus sit animorum consensus? quæ incipiendi perplexitas? quæ perficendi difficultas, imò impossibilitas? Si vel Evangelicorum aliquos ab initio à rationis Statu dimoveat, affectus alicujus vehementiâ, quàm diu hæc constabit? Quàm citò redibunt, aut reduci poterunt, ad sensus sibi commodiores? ut ex nostris consiliis armati jugulum deinde nostrum validiùs petant. Non est, ut hæc explicem, recentior temporum memoria præbet horum documenta. Præterea, quid profutura est nostra intercessio Religionis in Polonia? relinquit Rex Sveciæ Ordinibus & incolis eam liberam, libertatis securitatem fide suâ stabilivit. Habent ista conditionem in se fidelitatis & quietis. Si vel Polonorum aliqui sub religioso prætextu hæc non servabunt, vel exteri pro Religione quædam tentabunt, isti suspecti erunt, inimici fient, Romano-Catholici ejicientur, Ecclesiastica bona militibus cedent, minusque Ecclesiastici habebunt & retinebunt, quàm si nihil moveatur. Quantò verò præstantius erit, aliqua Religioni Catholico-Romani in isto Regno supereffe & servari, quàm nulla; Ecclesiasticos tolerari, quàm exilium pati; tantò minus ejus causa quicquam movendum. Quod terris depulsa est Romano-Catholica Religio, quod, detestata improvidè medium, sola esse voluit, inde ibidem nunc nulla. Taceo in quod exemplum itura sint, quæ nos faciemus: Non vult Cæsar, nolunt Catholici, ab Evangelicis, & qui horum in orbe potentissimus est, Sveciæ Rege, suscipi causam eorum, quos

Evan-

Evangelicæ Confessionis causa persequimur; ejicimus bonis, honore, fortunis, laribus, imò & vita spoliamus; improbamus, amolimus, quæ in eorum favorem fiunt, ut ut precibus & mitibus postulationibus. Quâ æquitate nos & alia faciemus Polonorum causa, & non eadem patiemur nostrorum gratia. Præbebimus factis & exemplo justum adversus nos arma movendi titulum, quoties cum Evangelicis non foras modò, sed & domi res erit.

Nec saltem justitia sed & prudentia, in nostris, quæ sequius concluduntur, desiderabitur consiliis; spectata quæ sò, quo loco sint res nostræ? qui ex adverso Status armorum Suecicorû? Militem Rex habet copiosum, exercitatum, optimè instructum, fortunis & victoriis suis animosum, bellis jam assuetum, sub Ducibus fortissimis, & per virtutem bellicam notis. Ipsemet & Imperator & miles optimus, nulli Regum comparandus, cui similis nemo sic castra regit, & sequitur; Nec eget eâ sollicitudine, ne copiæ defint, cui ex Regno perpetua sint subsidia; in hostili terra omnia ad annonam, stipendia, hospitia, & auxilium obnoxia, per fortunam cuncta ubique obvia & possibilia. Ex adverso, quæ sunt nostra, fideo, nam nulla adhuc reperio; si cogentur, quis non metuet eam præveniendi dexteritatem, quam sensit Polonia; Et si non præpedietur, satis tamen impedita erit ex defectu militis, isto bello jam in partes præoccupato; pecuniæ ubique exilis, animorum semper in Germania per varia euntium, raræ consensionis, secreta, quæ decet, servandi vix optandæ possibilitatis. Sinamus sentire victoriosum Regem, sua nobis esse suspecta, nos quædam machinari; & dijudicemus, quid ipsius conveniet Prudentiæ, quid liceat potentiæ. Quàm citò sedes armorum erit Germania ubique patens. Adfunt ipsi abundè, per quæ retinere potest Poloniæ regnum, & invadere alienum. Nobis pleraque ferè defunt, per quæ rectè defendemus nostrum, nulla, cum quibus transeamus in alienum, præsertim quod jam occupatum & præsidii firmatum. Quale nobis erit auxilium? ab incolis nullum, quorum potior pars voluntate à nobis dissidet; reliqua viribus caret, omnis sub præsidio & Imperio jam est, hocque tali, sub quo melius vivit, quàm sub alia separabit. Ab exteris quid sperandum? quos eadem, quæ nobis circumspectè consideranda atque metuenda sunt, dimovebunt ab attractu ignis, cujus ar-

bitrium minimè habituri sunt. Si remoti sunt, non proderunt auxi-
 lia, quæ præstari nequeunt, nisi tarda, modica, difficilia, sumptuosa,
 adjuvantibus, & in iuvandis non diu ferenda. Si vicini sunt, eò minus
 subsidiis præstabunt, quò propiores sunt periculis, & facilius insidio-
 sa ac infida eorum tentamenta, a bellicosa Gente & victorioso exer-
 citu avertentur, ut citius fiant communis præda, & alis vires suas
 augendiatque sustentandi materia, quàm nocere possint armatis.
 Qualescunque autem sint, an jungent se Genti, quæ cecidit, ut cum
 ea cadant? an Gentem oppugnabunt, quæ fortiter repugnare assueta
 est? an Regem offendent, cui inter prompta, propulsare injuriam, tum
 suis, tum eorum, quibus cum fœdera colit; armis, an in bella se præci-
 pitabunt, nulla injuria lacesciti, de benevolentia, & fida sinceritate
 ubique Regis sinceritatibus confirmati? Si quid adversus hæc fit te-
 merè & impetu, quod in eo erit præsidium, ubi nullum est consili-
 um. Discutiemus tandem, quo usu Germania implicabitur bello?
 Cerno nullum: Ingens video discrimen: inter ambigua immensa nos
 prement onera, impendia non sustinenda, pericula maxima, ausis dif-
 ficilimi, si malè cedent tentata, conclamata, & desperata erunt omnia;
 nihil exitio patriæ, Religionis, libertatis fortunarumque publicarum
 & privatarum certius: Recident cuncta in Statum, undè vix nupera
 pacificatione emerimus, nec vicissim emergendi spes supererit. Si o-
 pinione melius quædam cadent, pro multis tamen incommodis nul-
 lum nobis erit commodum, nullum præmium, nulla gratia; præda e-
 rit aliorum, nostrum, quod regna affligit, odium, invidia, multiplex
 hostis, æternum bellum, nulla quies. In talia pro alieno regno quis
 sapiens se conjici permittit. Regeres fortè: non jam subesse men-
 tem, ut arma moveantur, sed ut compositionis tentatione interceda-
 tur. Sed mecum hæc parùm pro præsentis rerum statu differunt.
 Acta jam cum Rege Poloniz causa, ipse Ex Rex est; Regni Jura, Regi
 Sueciz. Jus, victoria, voluntas populi, victi discessus tribuit, quod
 sibi dubium est & intricatum, ab alio reddi ægerrimè patietur, hosti-
 le ducet. Experientia docet, quàm in talibus interpositio sit ferè
 consuetum, sicut suspicionum & adversitatum, ita armorum princi-
 pium, ut qui hæc devitata cupit, ab illâ abstinere, nec ad illam acce-
 dere, nisi horum præparatione benè instructus debeat. Si excutimus
 circum-

Circumstantias, & indè spem suscipiendi tractatus, non potest non
 prudens prævidere omnia inania; ideò temerarium est, talia subire
 inter mediationis incongruæ solitum discrimen. Quæ si aperiet a-
 lienam ab instituto & eventu mentem, ut vix aliter fiet inter alios a-
 micitiã reparando, nos ipsam nostro non levi malo amittemus.
 Qui nolit aduri, ab igne recedat. Placent ista consilia, quæ nulla ra-
 tione causæ, quæ sub armis versatur, se immisceant. Germaniam, ne-
 scio quo fato recentioribus seculis bello nunquam felicem. Quæris
 autem, quid agendum? an sedentes aspicere decet ludum, qui agitur
 in Polonia? Sic opinor; mover præter superius scripta, quæ conside-
 randa relinquo, admiranda Sueciæ Regis fortuna, quæ maximè in iis,
 quæ ad arma spectant, in consilium vocanda est. Mera, quæ in isto
 video, sunt miracula, adeoque destinata ipsi, regnoque ejus divini-
 tus Potentiæ argumenta. Si cogito quomodo potest juventu-
 rem studiis & peregrinationibus benè informatam in castris per o-
 mnes militiæ gradus, quod in Principe rarissimum, documenta pro-
 vidi & magni animi dederit, quomodo bellum Germaniæ tricen-
 nale summus militiæ Imperator in eodem, unde flamma primum
 prorupit, loco velut conclusam, sopivit, pacem summâ prudentiã
 executioni mandavit; quomodo postea per inauditum in omni ævo
 exemplum abdicationis à Regina, post bellorum & pacis gloriam
 regno partam, in florentissimâ ætate factæ, Rex factus est; quomodo,
 cum omnia in Regno vulgarentur, fuissent incomposita, nutu ferè ea
 in justum ordinem redegit; quomodo summâ exterorum admirati-
 one, suorum amore & congratulatione sceptrum suscepit; Quomo-
 do, cum Sueciæ res cunèti sibi imaginarentur jam imbecilles, & fere
 imbelles omnium ad robur Regni pertinentium, copiã citissimè in-
 structus fuit; Quomodo intra trimestre spacium, quod nondum au-
 divit ætas nostra, numerosum, & potenti Regno occupando parem
 exercitum conscripsit & paratum habuit; Quomodo uno ferè ictu
 non modo venit, vidit, vicit, seu accepit Regnum, pacavit, volunta-
 ria apud hostes omnia habuit, gratior Rege; Quomodo denique di-
 vina & humana omnia conspirent ad augendos ejus successus, è cœ-
 lo hæc suggesta & fortunata vel manu tango. Credo autem majora
 adhuc decreta, & destinatum hunc Regem ad opera Dei, nos adhuc
 latentia,

latentia, efficienda. Non possum non ita ratiocinari, ductu cum pie-
 tatis, tum divini nobis verbo factisque revelati moris, tum experien-
 tia, quam temporum exhibent testimonia. Id dum præsuppono non
 aliud capio & do consilium, ac ut in Germania quiescamus, & in id u-
 nicè prudenti consilio intenti simus, quæ solida cum lege originis,
 sanguinis, vicinitatis, beneficiorum, benevolentia, aliaque multipli-
 ci necessitudine Germanis conjuncto, & qua Provincias, quas inter
 nos habet constatu firmetur & conservetur amicitia. Sic succre-
 scientis, & quia Deo placet, non infirmandæ potentia, noster com-
 munis erit fructus, præsertim adversus nostra pericula non leve præ-
 sidium. Nec opus erit metuere, quod ex ea nobis amicum & pro-
 pitium, quin potius sincero favore consequemur, ut nos amemur, a-
 lli à nobis ob conjunctionem animorum, metuant; Haud novum,
 nec sine exemplo hoc est consilium. Reclamus similia Germaniæ
 nostræ tempora, præprimis, in quibus Carolus Magnus in ea cœpit
 Imperium, & quando Austriaca domus, ad eam quam habuit poten-
 tiam, pervenit. Examina, prudentius egerint, qui se invalescenti op-
 posuerunt, an qui sua casibus accommodaverunt, quieti benevolen-
 tiam quærentes, suæ dignitati servandæ magis, quàm alienæ fortu-
 næ retundendæ dediti, cœtera fati relinquentes. Sipienti sat di-
 ctum, Imperitos commonefaciat historia, Germanis in talibus agen-
 dum eò consideratius, quoad Germaniæ fatale, nunquam sine clade
 sua experiri motus, per suas partes adversantium augere potentiam,
 partis abscessu redimere quietem. Ponderari hæc sino! Te-
 que cum omnibus rectè sentientibus opti-
 mè valere opto, &c.




Lit
BENEDIC
Confiliarius



Vco
anga
&us
lè, a
dant
cant
ventionum quicquam d
tas, salus, quies.

Haud tamen vestra
confilus consultationu
ti, minimè permissuris, t
adincendium, quod Ge
discrimine publico occu
movere possit, multa,
divinorum reverentia e
rè sint divina iudicia, p
inde iuvatur, & ad fine
vel manu tangimus in ca
mirando modo prosper
iudiciis istis reluctari, c



an 3

